4324 cc 13

ORATIO EVCHARISTICA & ENCOMIASTICA,

In benevolos Vniversitatis Aberdonensis Benefactores, Fautores, & Patronos,

A IOANNE LUNDÆO, Humaniorum Literarum *Professore*.

Lundæus K

HABITA XXVIJ. IUL. 1631.

Clamant Iusti, exaudit DOMINVS, eosque liberat ex omnibus molestiis. PSAL. XXXIV. 17.

ABERDONIIS,
Excudebat Edwardus Rabanus, 1631.

ORATIO

EVCHARISTICA

&

ENCOMIASTICA,

In beneuolos Vniuersitatis Aberdonen-
sis Benefactores, Fautores, & Patronos,

A Ioanne Lundeo, Humaniorum Litte-
rarum Professore.

HABITA XVIII. Iul. 1613.

BRITISH MUSEUM

ABERDONIÆ,
Excudebat Edwardus Rabanus, 1613.

ORATIO EVCHARISTICA & ENCOMIASTICA,

In benevolos Vniversitatis Aberdonensis Benefactores, Fautores, & Patronos;

Potissimum autem in Clarissimum Virum,

D. ALEXANDRVM REIDVM,

Medicinæ Doctorem peritissimum, gratissimum & munificentissimum *Vniversitatis alumnum*:

In publico auditorio Philosophico, coram Illustrissimo & Maximo GEORGIO Comite ENZEANO, *Reverendissimo* PATRICIO FORBESIO, *Ecclesiæ Aberdonensis sanctissimo, & nunquã satis laudando* Antistite, Nobilissimis GEORGIO & IACOBO GORDONIIS, *Enzeani Comitis* Ornatissimis Filiis, & multis aliis Clarissimis & Doctissimis Viris habita 27. Iun. ANNO 1631.

SIcut agrorum cultores (Maxime & Magnanime HEROS, Reverendissime in CHRISTO PRÆSUL, Nobilissimi COMITES, Reverendi ac Venerabiles D. DOCTORES, Clarissimi Doctissimi Auditores, quotquot adestis Ornatissimi, multis nominibus mihi compellandi) sicut inquam agrorum cultores, licet Cœlum

lum aliquando nubibus inhorreſcat, & repentinis imbribus admiſtis fulminibus & coruſcationibus terrarum orbem, nunc aquis obruere, nunc flammis comburere videatur, non tamen animum deſpondere, non contriſtari, ſed è contra lætari & de futuro melius ſperare percipimus, illud vel non diſſimile cantillantes.

Non ſi male nunc, & olim
Sic erit, quondam Cythara tacentem
Suſcitat Muſam, neque ſemper arcum
tendit Apollo.

Haud aliter nos (Auditores) quos Reip. Literariæ Dominus præfecit (ni Agricolis inferiores videri velimus) ſi ſiniſter aliquis Aquilonis flatus navigium, vel in Syrtes & adverſas Symplegadas, vel in ipſas Strophades tranſverſum abripiat, ubi Dira Celæno Harpyæque volant aliæ, licet diſperſi ad tempus jactemur gurgite vaſto, & nox humida cœlum auferat, ingeminent abruptis nubibus ignes: non tamen ideo deſperare debemus, ſed majori cum alacritate progrediendum, cum tempeſtatem inexpectata ſæpius inſequatur malacia, contrahenda pauliſper vela, & expectanda ſerenitas, nec enim procul agit rector aquarum, qui

Dicto citius tumida æquora placat
Collectaſq; fugat nubes, ſolemq; reducit.

Fieri enim non poteſt, quin Reſpublicæ & omnes omnino hominum ſocietates ancipitibus aliquando fortunæ vicibus ſubjiciantur, cum non ſolum terram hanc & inferiora elementa nunc jucunditate & viriditate veris, nunc aſperitate brumali, nunc immodicis æſtatis ardoribus, nunc autumni temperatura variari; ſed & cœleſtia illa ſuperiora nobiliora corpora, tot motibus, tot agitationibus circumrotari cernamus, ut quæ jam ſupra horizontem emine-

bant

bant clariſſima ſydera, mox occidua amiſſa luce, amiſſa gioria, infra horizontem deſcendere & interire mortalibus videantur. Verumenimvero (Auditores) ſi ampliſſimum hoc & eminentiſſimum Athenæum muſarum domum ob oculos ponamus, in ejus unius imagine, non ſolum anni vices & reciprocos Oceani fluxus & refluxus, ſed & rerum omnium publicarum periodos, elementorum motus, ſyderum curſus, Lunæ Soliſque labores tanquam in ſpeculo intueri licebit. Nam poſtquam ſemel auguſtæ memoriæ IACOBUS IIII. & VILELMUS ELPHINSTONUS, Eccleſiæ hujus aliquando ſanctiſſimus antiſtes, maximis ornatum privilegiis inſtauraſſent, brevi effectum eſt ut omnibus doctrinæ luminibus, ut omnibus ſcientiarum ornamentis coruſcans, lucis ſuæ radios quaquaverſum emiſerit, ut cum BONONIA, cum LUTETIA (mihi credite) facilè comparari potuerit.

Quod glorioſiſſimum opus ſanctæ memoriæ GAVINUS DUMBARUS, VILELMI Succeſſor, ſtrenuè promovit & viriliter turatus eſt, nec ei defuit piæ recordationis GULIELMUS STUARTUS. Horum beatorum Patrum temporibus ut floruit ut inclaruit, nec barbaræ & remotiſſimæ gentes ignorare potuerunt, horum temporibus ver ſuum habebat.,

Placidique tepentibus auris
Mulcebant Zephyri-

Quid ædificiorum ornatum commemorem, magnificam amplitudinem, quid opera tabulata, cœlata, vitrea, cryſtallina, ſcamna ad præceptorum, ſubſellia ad puerorum uſum miro artificio fabricata, quid aulæa, tapetes, opera undulata, opera vermiculata, quibus non ſolum parietes hi, ſed & pavimenta ſternerentur, quid prætioſam ſupellectilem, Templorum ornatus, quid campanas cœleſtem quandam melodiam, gratiſſimam & ſuaviſſimam audientibus volup-

tatem sonantes, quid aurum, quid argentum, quid plumbum, quid singula, quid omnia? Nempè hi fuerunt ELPHINSTONUS, DUMBARUS, STUARTUS, quos summo & incredibili studio virtus ipsa elaboraverat, ut essent quos admiratio conciperet, eloquentia magnificaret, celebraret fama perennis.

Postquam vos fata tulerunt (beatissimi Patres)
Ipsa Pales agros atque ipse reliquit Apollo.

Horrenda enim extemplo subsecuta est hyems

Eripiunt subito nubes Cælumq; diemq;,
Ponto nox incubat atra
Præsentemq; viris intentant omnia mortem.

Et quamvis in media tempestate sereniſſimus & potentissimus augustæ memoriæ Monarcha IACOBUS VI. (omnium qui unquam à Prophetarum temporibus diadema gestarunt Rex prudentissimus, Rex clementissimus) adfuit, & fluctus componere, nimbos removere & Phœbi filiis patris vultum citra mærorem in pristino splendore repræsentare, serenare, benigniſſime annitebatur, negotium gnaviter procurantibus & in rem Academiæ cedentibus rara pietate *ROBERTO METELLANO* ABERDONENSIS Capitoli digniſſimo Decano, *ALEXANDRO ARBVTHNOTO*, & *WALTERO STVARTO*, meritissimis aliquando in hac UNIVERSITATE Gymnasiarchis, quorum & virtus & in Universitatem eximia pietas, robori & quadratis ædificiorum lapidibus nedum foliis incidenda fuerunt: Nihilominus tamen in tantum tempestas invaluit, tanta fuit sævientis freti & tanta insanientis *AQVILONIS* pertinacia, ut hæc licet in se maxima levamina, licet ab ipsis *METELLANO*, *ARBVTHNOTO*, *STVARTO* oblata, imò licet ab ipso sereniſſimo IACOBO allata solatia, cum ipso

tamen laborante navigio, non solum periclitari, sed & adstantibus & intuentibus jamjam peritura videbantur. Quoties enim in ea tempora mentis oculos conjicimus, & quoties priorum meminimus, toties in memoriam redit quod de *NAOMI* sacra refert historia, quæ cum filios amisisset vicinis dicebat ne vocetis me deinceps *NAOMI* quod amænam significat, vocate me *MARAM*, hoc est, amaram: haud aliter *ACADEMIA*, ne vocetis me deinceps *NAOMI*, non enim amplius sum compta & ornata, sed *MARA* sum mærore & amaritudine plena, partim manibus sacrilegis direpta, partim meorum nunc avaritia nunc socordia consumpta, reditibus plerisque & prædijs abalienatis viduata, hactenus

Vixi & quem dederat cursum fortuna peregi.

Nos flebili hoc queribundæ matris lessu perculsi, de REPUBLICA ineffabilem concepimus solicitudinem, quin & in castris nobiscum, conclamatum fuisset, ni ex aurei illius syderis exortu (quod jã in meridiano nobis feliciter micat) inexpectatum effulsisset solatium. Nam quum priora adhibendo levamina nihil vel certè minimum promovisset Sereniſſimus IACOBUS, non tamen destitit, imò quiescere prius noluit, quam Reverendissimum & Prudentissimum Patrem PATRICIVM FORBESIVM, Clarissimæ & Antiquissimæ Familiæ COTHARISTICÆ Dominum, innumeris tum innatæ virtutis, tum acquisitæ dotibus & ornamentis instructum [cujus utpote solertiam & prudentissimam in rebus gerendis dexteritatem sæpius experientia dedicerat, & voce non solum, sed & scriptis, & ante & postquam eum in numerum Illustrium Dominorum Supremi Senatus, & Sanctioris Concilii sui SCOTICANI adoptarat, sæpissime comprobarat] Ecclesiæ ABERDONENSI protomystam & UNIVERSITATI Cancellarium præfeciſſet. Hujus saluberrimis consiliis, non solum

UNIVERSITAS hæc relevatur: universa nobiscum LITERARIA & ECCLESIASTICA RESPUBLICA promovetur, sed & Illustres Domini Supremi Senatus (quod Maximum est) sed & ipse CAROLUS, Magni IACOBI, Magnus & tanto Patre digniſſimus Filius, DEI Gratia Sereniſſimus & Potentiſſimus Magnæ BRITANNIÆ, FRANCIÆ, & HIBERNIÆ Rex, Fideique Defensor, &c. (quod majus est) summam & incredibilem voluptatem percipiunt. Et ad ACADEMIAM quod attinet, te quoties adspicimus (Reverendiſſime PATRICI) te inquam quoties adspicimus, toties ELPHINSTONI, DUMBARI, STUARTI imagines; quid imagines dico, imó ipsos ELPHINSTONUM, DUMBARUM, STUARTUM ad quorum fausta nomina parietes hi gestiunt, redivivos intueri videmur. Ut penè Pythagoricam illam metempsichosin è nostris Auditoriis exclusam immerito damnatam censeamus, neq; tam ELPHINSTONUM, DUMBARUM, STUARTVM interiiſſe, quam eclipsin quandam ad tempus magnorum illorum luminum interveniſſe dicamus. Nam post felicẽ illum tuum in urbem ingreſſum, extemplo fabros & architectos postliminio tandem revocatos, occupatos videbamus.

Qualis apes æstate nova per florea rura
Exercet sub Sole labor, cum gentis adultos
Educunt fœtus, aut quum liquentia mella
Stipant, & dulci distendunt nectare cellas.
Fervet opus, redolentq; thymo fragrantia mella.

Tu GORDIUM NODUM nostrarum miseriarum solviſti: tu tanquam alter ÆSCVLAPIVS HIPPOLYTI tui membra disperſa collegiſti: nec amplius aliquid restare vel invidia testetur, quam ut supremam manum operi jam admoveas, et aureum UNIVERSITATI sæculum reducas. Hactenus enim tuis, et Filii tui beatiſſimi auſpiciis

ſpiciis tanta ubertate nobiſcum res LITERARIA propagari cœpit, ut non immerito profiteamur.

Venimus ad ſummum fortunæ, pingimus, atque
Pſallimus & luctamur Achivis gratius ipſis.

Nam quod ad Filium attinet, è BELGIO poſtremo reducem, ut Angelum DOMINI pii omnes & docti in Eccleſia in Academia ſalutarunt, ipſa ejus ædificia ſi natura pateretur, ſedibus ſuis relictis obviam illi prodire cupiebant. Fœliciſſimis deinceps auſpiciis SACROSANCTÆ THEOLOGIÆ Profeſſor, ac tandem Doctor ritè deſignatus, quacunque inceſſerat fauſtis acclamationibus omnia perſonabant, omnes ebullientem & foras erumpere geſtientem lætitiam, vel pedibus & manibus indicarunt. Vos igitur divina manu excitatos minime, dubitandum eſt, ut rem aliena culpa prolapſam reſtituatis, quo facto fieri non poteſt, quin eam nominis celebritatem, eam gloriæ magnitudinem adipiſcamini, ut vel infenſiſſimi quique ſuſpicere neceſſe habeant, certè vel allatrare nullus audeat livor. Veſtram dein pietatem Reverendi hujus Diœceſios Preſbyteri imitati non ſolum precibus & ſeriis apud DEUM votis rem noſtram DOMINO commendatam voluerunt, ſed & reditibus etiam liberalibus in perpetuum SACROSANCTÆ THEOLOGIÆ Profeſſoris uſum, & ad pios & pauperes ſuſtentandos ejuſdem facultatis ſtudioſos pro viribus auxerunt et locupletarunt

Grates perſolvere dignas
Non opis eſt noſtræ (Reverendi Patres) DEVS
Vobis ſi qua pios reſpectant numina, ſi quid
Vſquam juſtitiæ eſt & mens ſibi conſcia recti
Præmia digna ferat.

Hos ſequuti Reverendi Preſbyteri *IACOBVS & IOANNES WATTI*, qui licet procul inter *ANGLOS*

agitent & corpore à nobis abeſſe videantur: corde tamen & ſpiritu VNIVERSITATI adeſſe ſe demõſtrarunt adeo, ut in *ACADEMIA* verſari, vivere, victitare, diſputare vel noſipſi plerumque ſentiamus. Ingratitudinis macula (mihi credite Reverendi fratres) ingratitudinis inquam macula nullo eluenda piaculo conſpurcarer ſi veſtram in parentem neglexiſſem pietatem, præcipue autem tuam [venerabilis *IACOBE*] cum non ſolum ædes hæ & VNIVERSITATIS ædificia, non ſolum tuis ſumptibus adaucta locupletata Bibliotheca: ſed & ipſi *jampridem* defuncti patres, tam Græcæ quam Latinæ Eccleſiæ lumina, nobiſcum *jamprimum* tua pietate redivivi, tui nominis memoriam, tuã pietatẽ, liberalitatem cum Cœlo, ſolo duraturas, nunquam intermorituras contendant. Nec vos (chariſſimum *INNESIORVM* par) intactos relinquam, quos ſi immatura fata VNIVERSITATI nõ ante tempus abripuiſſent: proclivem veſtrum in parentem animum futura ſæcula prædicarent

Oſtendunt terris vos tantum fata, nec ultra
eſſe ſinunt

Sed jam tempus poſtulat ut te compellem clariſſime D. Doctor ALEXANDER REIDE (cujus gratia potiſſimum hunc diem celebrari voluimus) ſalve clariſſime Doctor, conſalutamus omnes, ſalve maxime REIDE, ſalve ſempiternum familiæ decus & nunquam interiturum nominus ornamentum. Tu tanquam Phœbi filius legittimus, Phœbum vel in moribus exprimere voluiſti, qui vapores e terra & aquis virtute propria in ſublime ſemel elevatos, in altum collectos ſibi minime ſeponit, nam cui rei? ſed quod a terra accipit terræ munificentius reddit & tempeſtivis imbribus ſerijs tandem agricolarum votis reſpondet. Ad famam ad memoriam tui nominis in æternum hæc VNIVERSITAS exultabit, tibi perpetuo virentẽ laureã contexet, in tuis laudibus decantandis, celebranda memoria,

libera

liberalitate, pietate, magnificentia prædicanda non solum per SCOTIAM per BRITANNIAM, sed per terrarum orbem instar resonabilis Echus indefessa vagabitur. Per te humaniorum, per te amæniorum literarum professores, per te medicinæ, per te Theologiæ, matheſios, juris utriusque Doctores singuli in studijs, singuli in provinciis suis diriguntur: per te studiosi potissimum autem paupercs alumni [quibus minus indulsit asperior fortuna] exhilarantur, animantur & ad virtutem in teneris annis amplectendam alacriores redduntur; quorum omnium ingenia, omnium animos æternitati tui nominis vectigales habebis. Hæc tua in parentem [Clarissime REIDE] ampliſſima collata beneficia, cum calamo pro dignitate scribi non possint: ferro admodum profunde [ut in animis hominum] in marmore in lapidibus incidenda sunt; nec in privatis hominum musæis: sed in theatris, sed in templis, hoc est proprio divinitatis loco collocanda. Satis enim jam satis privata laude commendatus videbare qui BRITANNIAM celebritate nominis occuparas: publica requirebatur, qua jam totum sibi suum REIDUM hæc ACADEMIA vendicat; in qua quamdiu ullus restabit honos literis, in qua quamdiu vel Latinæ Linguæ potentia, vel Græcæ gratia florebit, vigebit noster REIDUS cum maximis viris

Nulla dies unquam memori quos eximet ævo.

Verum priusquam vela contraham & finem dicendi faciam hic venerabundi paulisper [AUDITORES] divinam contemplemur providentiam, quæ consulto nonnunquam deprimit ut celsius erigat, adimit ut cumulatius reddat, contristat ut insperatis gaudiis perfundat. Hem, quo abierunt nuperæ inhorrescentis Capricorni pruinæ? Quo summota sunt hiberna frigora? Amnes non ita pridem

gelu constrictos videbamus, incultos agros, arboribus omnem decussum honorem; imò hæc ipsa ambulatorum ambulacra sole viduata, cœno lutulenta, immitis conceptacula AQUILONIS, inhospita, inculta *Rabidis vix adeunda feris.* Sed ô quam læta hæc, quam subitâ mutatio, quam leniter adspirant ZEPHYRI leves, tepentes FAVONII: ut emergunt candores, nitores, virores: ut dulcisoni musarum cantus non alio modulamine aures oblectant, quam quo olim AMPHYON & ORPHEUS sylvas etiam ipsas & rupes in saltus & tripudia traxerunt. Hinc *FAVNI* omnes, hinc *SYLVANI*, capripedes & olentes *SATYRI* exulant: nec ulli ut quondam in rusticis amiculis errant caprarii, *OPILIONES*, *BVBVLCI*. Tetra hæc & prodigiosa hominum monstra virtute quorundam & indefesso labore superata sunt, quæ aliorum ignavia musarum sedibus irrepserant non solum, sed & incubuerant. Hæc sunt [Auditores] quæ temporis angustia & inexpectata quædam negotia plura dicturientem dicere permiserunt: verum potissimum me movebat & properantem urgebat maximi illius & magnanimi Herois, COMITIS ENZEANI in LOCHABRIAM abeuntis autoritas, cujus dignitati & honori non solum vigiliolarum nostrarum genus & genius sacramenta dixerunt, sed nosipsos si non usu, certè mancipio & nexu in perpetuum obstrinximus.

FINIS.

CLARISSIMO, DOCTISSIMO, ET ORNATISSIMO VIRO, *D. ALEXANDRO REIDO*,

Medicinæ Doctorì peritiſsimo, Muſarum Mæcenati munificentiſſimo,

Duodecem VNIVERSITATIS ABERDONENSIS Alumni Philoſophiæ Studioſi, in hac omnem, & in *futura ſempiternam fœlicitatem comprecantur.*

QUUM rationi maxime conſentaneum videatur [Clariſſime D. Doctor] ut qui beneficia ſive ab alienigenis & longe diſtantibus, ſive ab amicis & proximis acceperint, ſeſe vel par pari referendo aliquando, vel ſaltem quæ poſſident optima quæque libentiſſime retribuendo gratos & accepti beneficii memores exhibeant, & vacuos omnino tetrici illius & prodigioſi monſtri, ingratitudinis videlicet, quo homines tanquam CIRCÆIS poculis faſcinati in ſaxa & in ſtipites tranſmutantur: nos amplitudini tuæ dediticſſimi UNIVERSITATIS ABERDONENSIS Alumni, quum hoc tuum Ampliſſimum in noſtram tenuitatem collatum beneficium: hoc tui ſingularis amoris, & raræ pietatis certiſſimum ſymbolum, & propemodum (in frigido hoc & extremo mundi jam

di jam seneſcentis ſæculo] ſine exemplo exemplum, majora quidem à nobis requirant & plura [licet debitores teneamur] quam vel præſtare valeamus, vel hactenus indulſit aſperior fortuna: non ſolum gratias ex animo quas poſſumus maximas, amplitudini tuæ referimus, habemus, ſed & nosipſos æternitati Tui Nominis vectigales & devinctos in perpetuum ſacramus. Unde quum nec Theſauri nobis, nec agrorum prœdia, nec armenta ſuppetant, nec ulla [ſi paucos libellos excipias] ſupellex: Tua nos amplitudo reſpicere dignetur, ſi quæ habemus offeramus, & pietatis tuæ & liberalitatis aræ animos noſtros, & cordis penetralia exhibeamus. Quod quidem licet maximum ſit quod à nobis præſtari poteſt, minimum tamen in ſe eſſe, & ſi cum tua amplitudine conferatur non ſolum minimum, ſed & nihil eſſe profitemur. Nam quamvis plerique magni nominis & famæ nunquam interituræ Clariſſimi Viri, almam hanc noſtram parentẽ UNIVERSITATEM fovendo & promovendo: collapſam penè reſtaurando, & *Herculi* aut *Atlanti* non multum diſſimiles fulciendo, humeris ſuis ſubeundo, & locupletando immortalem ſibi gloriam compararunt: Tibi tamen ſoli (Clariſſime REIDE) & tua fortuna, & noſtra vota hanc laudem propriam & peculiarem reſervari vóluerunt, ut primus in noſtram tenuitatem reſpiceres, ut primus gratitudinis noſtræ ſcintillulam hactenus ſub favilla latitantem in erumpentes ſubitò & crepitantes gratiarum flammas excitares.

Dum juga montis aper, fluvios dum piſcis amabit,
Dumque thymo paſcentur apes, dum rore cicadæ,
Semper honos nomenque tuum laudeſque manebunt.

Tu primus noſtri meminiſti, tu primus viam hactenus ignotam & incalcatam fælicibus auſpiciis aperuiſti, aliiſque omnibus [quos vel pietas vel munificentiſſimus bo-

norum

norum operum remunerator DEUS ad ejuſmodi pietatis exercitia excitare dignabitur aliquando] claſſicum ceciniſti. Pro quibus omnibus quum parem gratiam amplitudini tuæ referre nequeamus, accipe nos tibi in perpetuum, nec nos ſolum ſed & parentem ACADEMIAM, Doctores omnes & Profeſſores, clariſſimos ac Doctiſſimos ejus filios [quorum omnium animis tua beneficia tuum nomen, charitas & pietas literis majuſculis inſcribuntur] imo & quotquot in finem ſæculorum ex longa nepotum ſerie & ſera poſteritate, hoc tuo beneficio poſtea potientur, accipe debitores. Interim DEUS Optimus Maximus amplitudini tuæ adſit propitius, eodemque quo tu nos vultu reſpiciat, ſub expanſis miſericordiarum ſuarum alis incolumem nobis & ſalvum ab omnibus quibuſcunque malorum fluctibus & tempeſtatibus tueatur, donec tandem [cùm Patriarchis plenus annis & gravis] ex vaſto hoc miſeriarum omnium Oceano plenis velis in portum veræ pacis & tranquillitatis devenias, bonis operibus & noſtris precibus comitatus, ubi a laboribus requieſcas, cum DOMINO vivas & nunquam moriaris.

Tuæ Amplitudini Deditiſſimi,

ALEXANDER GARDENVS,
NORMANDVS LESLÆVS,
ADAMVS GORDONVS,
ROBERTVS BROVNÆVS,
IACOBVS RAITVS,
GVLIELMVS CAMPBELLVS,
PATRICIVS WATTVS,
ALEXANDER REIDVS,
GVLIELMVS REIDVS,
ROBERTVS DONALDSONVS,
GVLIELMVS CAMERARIVS,
THOMAS ROSSÆVS.

ΑΝΤΙΠΒΑΑΡΓΗΣΙΣ. UNIVERSITATIS

ABERDONENSIS,

Clariſſimo & Meritiſſimo Filio,

D. ALEXANDRO REIDO,

Medicinæ Doctori eximio, Muſarum Mæcenati Munificentiſſimo.

QUID; *recolámne pii poſt tot diſpendia nati,*
Commoda grandævæ nutricia præſtita matri?
Dummodo perpetuũ REIDUS *celebrandus in ævum*
Tanto Elphinſtonias *ditarit munere muſas:*
Munere, quo miſeris ſolamina fundit alumnis,
Pauperiémque famémque procul jejunia ventris
Bis-ſex-centenis maleſuada arcendo libellis:
Munere, quo tremuli matris radiantur ocelli
Turgeat oblatis dum Bibliotheca libellis.
Cernis ut annoſas ſubitus vigor excitet artus,
Vtque ſuperfuſo magis ubera lacte graventur,
Vt duodena cohors [ſeptis velut hœdus in hortis]
Exigat innocuæ tranquilla ſilentia vitæ,
Vt ſemel audito turris mea regia REIDO,
Turris ABERDONIIS *& ſpes & gloria Muſis,*
Turris, [terribiles diræ Rhamnuſidis iras

Paſſa

Passa diu nec passa tamen] stabilita trophæum
Erigat, invitis REIDVM q. popoſcat ab ANGLIS.
Ingratæ procul ite umbræ, violentus alumni
Flagrat amor charæ fœcundans viſcera matris,
Hactenus ingratóſque auſus, variósque meorum
[Quos alio leſæ rapuit violentia famæ]
Inſultus perpeſſa diu, nunc ecce remoto
Fulmine dat placidam, Zephyri levis aura quietem,
Erigor auxiliis REIDI, quem cura tonantis
Provida ſollicitæ voluit ſuccurrere matri,
Quem genus & genius pariter virtutis & artis
Nobilitant, gnaro cujus fortuna labori
Par voluit noſtris ſolamina ferre Camænis.
Quidni igitur grato ſubvecta ciconia alumno
Reddat ovans fuſum leſo de corde cruorem,
Reddat anhelantémque animam mentíſque vigorem
Reddat magnanimo quæ poſsidet optima REIDO.
Optima ſunt grates, nihil eſt quod cætera promam.
[Talia prælargo cedunt tibi plurima cornu
Digna tuis meritis] non hæc tibi præmia noſter
Fundit ager, muſis ſunt hæc tua munera noſtris,
Munera venturis nunquam non pervia ſeclis.
REIDE tibi has violas, tantum has tibi ponimus aras,
Paucula perpetuas ſpirantia carmina grates.

DAVID LEOCHÆUS,

Græcæ Linguæ Profeſſor.

ANAGRAMMA IN NOMEN CLARISSIMI *D. ALEXANDRI REIDI,* Medicinæ Doctoris eximii.

ALEXANDER REIDUS,
Reddens larga vixi.

DECREPITUM *relevans Patrem* Cythereia *proles,*
Si sit Apollinea *concelebrata lyra:*
Anne igitur noster Phœbus [*Gratissime* REIDE]
Cesset ABERDONIO *te celebrare choro.*
[*Qui modo* ABERDONIAS, *quarum te cura* Camœnas
Mente tenet, studio, munere, laude beas]
O prius exsuperet, rutilanti Cynthia Phœbum
Lumine, & argutam spernat Apollo Chelyn.
Ergo te, exultent nostræ celebrare Camenæ,
Et tua sit Cythara *laus renovata nova.*
Reddens larga *etenim* vixti *celeberrime* REIDE,
Malte igitur viva laude decore tua.

ALIVD.

ALIVD.

ALEXANDER REIDUS,

Ave lux arridens.

AUREA *ABERDONIIS en lux gratiſſima Muſis,*
Splendida gemmifero lux decorata Tago,
Gemmifero decorata Tago *lux, nobilis urnæ*
Lilia qua noſtræ pulchra, rigata virent.
Arridens *ter* ave *nobis* lux *ergo, per ævum*
Splendeſcas radiis laudis amœna tuæ.

GILBERTVS MIDDILTONVS,
Philoſphiæ Studioſus.

PROSOPOPEIA ACADEMIÆ,

AD CHARISSIMVM FILIVM

D. ALEXANDRVM REIDVM,

Eximium Medicinæ Doctorem.

SALVE Theſpiadum *columen, lux ſplendida; ſalve*
Matri ex ignoto cognite nate ſolo.
Anxia jampridem Cœlúmne ſolúmne teneres,
Nuper Arioniam *pulſo repulſo* Chelyn.
Noſtráque Muſophilωn *te pſallit turba, ſalutant,*
Mœnia, *munificum* Bibliotheca *canit.*

Solsequium Phœbum *non plus sectatur amœnum:*
Quam tua stella micans lilia nostra rigat.
Sic quamdiu tribulis formosis floreat urna
Nostra, simul stabit gloria REIDE *tua.*

GVLIELMVS LAVDÆRVS.

Philosophiæ Studiosus.

EPIGRAMMA EVCHARISTICVM,

In pietatem munificentissimi nostri MÆCENATIS,

D. *ALEXANDRI REIDI*,

Eximii Medicinæ Doctoris.

EXTITIT *vt quondam* Ioseph *fratrumq́ domusq́*
Et patris & patriæ vita salúsque suæ.
Scintillæ primo similis, mox lampadis instar
Fulsit in ignoto gloria prima solo.
Haud aliter magno nobis cumulandus honore
REIDVS adest, patriæ fulgida flamma suæ.

Qui patriam fratresque suos almámque parentem,
Ante oculos habuit dum procul ipse fuit.
Illius ergo precor [steterit dum fama perennis
Matris ABERDONIÆ] stet bene fultus honos.

ROBERTVS BROVNÆVS,

Philosophiæ Studiosus, & in ACA-

DEMIA *Alumnus*.

SOLI DEO GLORIA.